



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 86. Ut videret finem. v. 58.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

Video Domine, & pro dolor nimis expertus sum quantum mali eveniat ex mala Societate, ideo rogo te, o custos hominum, conserva me à mala societate, dum hic dego, & da ut bonis & sanctis sodalitiis, ex quibus melior evadere possim, semper inhæream; hæc mihi se offerant, in hæc me inducere imo compellere dignare, ut declinem à malo & faciam bonum.

§. 85. *Et ingressus intro sedebat cum ministris. v. 58.*

Parum fuisset periculi, si Petrus expectasset foris in atrio, at intrando interiora & ipsam domum & aulam Caiphæ, & quidem cedendo cum ministris infimæ plebis & sortis, qui non nisi infima & scurrilia, cachinationes & maledicta de Christo proferebant eo facto plane se Petrus prodidit, nam dum talibus se immiscuit paulatim infirmata est in ipso virtus & gratia Dei, & cecidit gravius in peccata diversa mentiendo, falsum iurando, Deum & Magistrum negando; nec potuit ad cor redire, nisi relinqueret hanc malam & perversam societatem cum qua sedebat & quiescebat.

Plentissime Jesu, o quoties ego in malorum hominum non solum societate sedi & conquevi, sed etiam verbis ludicris & actibus eorum malis fui oblectatus, & ideo magis sedi cum ipsis & quievi, ideo doleo nunc quam maximè, & oro ut des gratiam; si fors incidero iterum in malam societatem, posthac nunquam in ea quiescam, sed cito refugiam ad te convertendo me ab illa ad te justitiæ solem.

§. 86. *Ut videret finem. v. 58.*

Finis & intentio Petri assidentis cum ministris profanis intro, non erat malus, volebat enim manere cum Christo iuxta promissionem suam, sed una videtur curiosus fuisse, humana enim curiositate volebat scire quid iudicaret de domino Pontifex, utrum eum neci addiceret vel flagellis caesum dimitteret, de qua re iam ante melius ab ipso Domino sæpe fuerat instructus, ita ut credendo, videndi non habuerit necessitatem.

OMi Jesu dulcissime quam sedulo, quam devote, quandoque te vel quaesivi in juventutis primâ devotione & fervore, vel saltem te quaerere & sequi debui, & o quoties & quam cito te deserui in peccata prolabendo ad creaturæ levis vel perversæ vocem, ne eam offenderem te quasi negavi & propositum non servavi; heu mala societas! quid feci? sedi; heu nimium cum malis & perversis hominibus quid tandem remediî post tot tantaque mala & peccata? cum Petro flere amare, ut bene ergo & salubriter defleam peccata mea respice ne obsecro misericordissime Deus, oculo misericordiæ tuæ sicut Petrum respexisti ut gemam, doleam, detestetur omni-

omnibus diebus vitæ meæ peccata mea, & merear gratiam & dilectionem tuam.

§. 87. *Principes autem Sacerdotum & omne consilium querebant falsum testimonium contra Iesum.* v. 59.

Cum Petrus in mala societate ministrorum versaretur, in tanto periculo peccandi, principes Sacerdotum, & omne concilium conuocatum per Caipham Pontificem, volentes suis insidiis iudicij recti laruam & formam imponere, examinant, & inquirunt super dictis factis vita & moribus Christi Iesu, & dum nullum malum in vita eius & factis inueniunt, conueniunt inter se ut quoquo modo possint excogitentur & inueniantur falsi testes, qui calumnientur de vita, moribus, doctrina, iustitia eius, donec inueniant argumentum per quod eum apparenter iustæ morti adiudicare possint.

Sic pro dolor omnes mali & inuidi faciunt, de bonis & viris iustis inquirunt, indagant ut noceant, & si quod etiam bonum in eis deprehendunt, sinistre interpretantur, calumniantur, scandalizantur ipsi & detrahendo alios secum scandalizant.

Domine Iesu author iustitiæ ob iniustis impetite da illam gratiam obsecro mihi ut nunquam nisi iustus, ab auctoritatem habente, de iustitia, vita, moribusque aliorum indagem, neque ex mala aliqua & sinistra intentione nocere ei velim, siue in corpore siue bonis externis honore, aut anima, sed potissimum omnes actus proximi, si boni sint, bene interpreter & laudem; si mali sint, excusam potius quam per ea illum denigrare aut ei nocere velim.

§. 88. *Vt eum morti tradarent.* v. 59.

Ecce finis tanti consilij & consultationum, Ecce peruersam Principum & leniorum intentionem. Quærunť falsa testimonia, ut Christum morti tradere queant, quam bene dictum est à Daniele c. 14. *Egressa est iniquitas à senioribus.*

Magi quærebant Dominum, ut eum adorarent, parentes ut eum custodirent, Turbæ, ut eum tangerent, Seniores isti ut eum interficerent? sed quandoquidem occidere decreuerunt, cur non fecerunt id absque omni testimonio? 1. ut ipsi principes consulere honoris suo, ne dicerentur homicidæ, adeo suam iniquitatem & inuidiam forma aliqua iudiciali palliabant, pugionem jam paratum gerebant; sed pallium quærebant, sub quo ferirent. 2. quia Pilato tradendus erat Christus ad necem, is autem nullo audito testimonio, non facile permotus fuisset ad Christum condemnandum, sicut & ægre fuit contentus etiam ipsis quæ contra Iesum attulerant. 3. ad

G

maior